



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

73. An Clericus possit reconueniri coram iudice laico de re, quæ non habet
connexitatem cum petitione? Et notatur in multis aliis casibus clericum
coram iudice laico reconueniri non posse. Etiamque ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

ponit. §. num. 17. vbi sic ait. Nota iudicem laicum vinculo excommunicationis irretiri, trahendum ad suum tribunal, etiam si cum trahere intendat prae-textu officiorum secularium, quae Clericus exercet. Ratio est, tum; quia Bulla vniuersaliter loquitur, & solum excipit casus in iure expresso: exceptio autem firmat regulam in casibus non exceptis; tum quia licet Clericus nequeat officia secularia sine Superioris dispensatione suscipere: cap. Sacerdos, ne Cleric. vel monach. nihilominus privilegium clericale retinet, & exemptus est à laica potestate, ex cap. final. de vita & honestate Clericorum. Quamobrem Clericus qui officium tutoris, vel curatoris, vel administratoris honorum exercuit, & in eo deliquit; non potest in iudicium à laico ad reddendam rationem vocari; quamvis enim delinquat assumendo huiusmodi officium, non tamen amittit fori privilegium. Ita Bonacina. Quod procedit, etiam si in tali casu Clericus puniretur à iudice seculari poena pecuniaria, vt prae-ter alios nouissime tenet Sanchez in consiliis tom. 1. lib. 3. cap. v. c. dub. 21. num. 11.

3. Notandum est etiam, quod stando in prima sententia, illa limitanda venit, vt si sibi compilato processu apparuerit Clericus ipse debitor, & in officio deliquisse, sint iudicis secularis partes, non illum ad soluendum condemnare, sed simpliciter declarare quantitatem, in qua debitor apparet; qua declaratione facta aduendus est iudex Ecclesiasticus pro illius executione; & ita docet Antonius de Mariis quoad iudic. resol. cap. 53. num. 15. nam, vt sapius dictum & probatum est, executio sententiae contra Clericum in casibus permixtis; non ad ipsum iudicem laicum, sed ad Ecclesiasticum spectat.

RESOL. LXX.

An Clericus possit se subicere iurisdictioni Regali quoad bona patrimonialia? Ex part. 3. tract. 1. Ref. 29.

§. 1. Hoc cogitandum relinquit Azevedus recò. pil. lib. 4. tit. 1. leg. 11. num. 16. Sed tu absolute, & sine vlla habitatione negatiuam sententiam tene, nam bona patrimonialia clericorum gaudent privilegio exemptionis, vt late probat Barbosa in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 49. c. 4. n. 3. & Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 9. c. 6. n. 9. & ego in tr. de Parlamento resol. 22. Sed Clerici non possunt exemptioni privilegij renuntiare, vt ego ipse satis probaui tr. 2. p. 1. de immuni. Eccles. resol. 3. Ergo, &c.

RESOL. LXXI.

An Clericus possit se subicere iudici seculari, vt arbitro? Et in dicto casu, si Clericus nolit stare sententia, an iudex laicus non possit illum per se cogere? Ex part. 1. tract. 2. Ref. 107. alias 106.

§. 1. Diximus supra, Clericos non posse exemptioni renunciare, vt à iudice possint valide iudicari, etiam in ciuilibus, vt patet ex cap. 41. ino. lina. 11. q. 1. & cap. placuit. 42. ibidem, & cap. si diligenti. 12. extra. de foro comper.

2. At, his non obstantibus, potest Clericus in ciuilibus se subicere iudici seculari, vt arbitro. Sed in tali casu notandum est, quod si dictus Clericus nolit stare sententiae, non potest iudex laicus illum per se cogere. Et ita docet Lessius lib. 2. c. 29. dub. 6. n. 52. & nouissime post illum Adamus Tanner. num. 2. 2. D. Tho. dist. 4. quaest. 4. dub. 1. n. 29. & alij.

Tom. I X.

RESOL. LXXII.

An iudex laicus possit compellere Clericum ad restituendum depositum, quous se obligauit restituere in tribunali iudicis secularis? Ex part. 1. tract. 2. Ref. 22. alias 21.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docent non pauci Iurisconsulti, vt Gutierrez de de tutel. p. 3. cap. 1. n. 9. Ioann. de Henia in Curia Philippica, part. 1. §. 5. n. 2. Salgado de proteccione regia, tom. 2. part. 4. cap. 14. n. 105. Borrellus de praest. Regis Carol. c. 71. n. 240. Mexia in pragmatic. taxe panis, conclus. 5. n. 35. cum alijs citatis à D. Carolo de Grassis de effect. Cler. effect. 1. num. 855. & nouissime Bobadilla in polit. tom. 1. lib. 2. c. 28. n. 130. vbi sic ait: [Si el Clerigo fuesse depositario de alguna cosa de voluntad de la parte, o por mandado del luez seglar, podra ser compelido por el à la restitucion del deposito, no por tela y orden de juyzio, ni por pena criminal, si no executiuamente por toma de biene.] Ita ille.

2. Sed haec sententia non admittitur à sapientissimo Iurisconsulto Surdo lib. 3. conf. 396. n. 33. Belleto in disquis. p. 1. tit. 3. n. 37. Bonacina de legibus. disp. 10. quaest. 2. punct. 1. §. 1. num. 26. Ambrosino de immunit. Eccles. cap. 20. num. 53. & à nostro P. Duardo in Bulla Cane, lib. 2. canon. 15. quaest. 11. n. 36. vbi docet, Clericos deputatos depositarios, non posse per Iudices laicos compelli ad restitutionem depositi, vel sequestri. Et Iurisconsulti, Ceuallos tract. de cognitione per viam violentia. p. 2. quaest. 76. num. 16. & Martha de iuris d. p. 4. cent. 2. cas. 104. num. 9. admittunt, sententiam contrariam Bobadilla, & aliorum, quoad cognitionem non autem quoad executionem; & idco putant, posse Iudicem laicum declarare Clericum debere depositum restituere; sed non posse executionem huius sententiae, ad restituendum depositum, contra Clericum exercere; sed hoc à Iudice Ecclesiastico faciendum esse affirmant,

Sup. hoc infra in Ref. 80. §. 1. cuius ad medium, & magis late in Ref. 82. §. 2. ad medium, & ex doctrina Ref. 81. & in alijs eius not. & in tom. 6. tr. 9. Ref. 74. §. Eadem modo. & §. Nec sustineri.

Sup. hoc si gnauer in Ref. 3. not. praeterita, & in alijs eius not.

RESOL. LXXIII.

An Clericus possit reconueniri coram iudice laico de re qua non habet connexitatem cum petitione? Et notatur in multis alijs casibus Clericum coram iudice laico reconueniri non posse. Etiamque docetur, licet quod Clericus possit à laico reconueniri, & teneatur stare sententia, nihilominus sequuta sententia, non poterit à laico iudice cogi ad soluendum. Ex part. 4. tract. 1. Ref. 65.

§. 1. Affirmatiuam sententiam defendere videtur Antonius de Viuis decis. 49. num. 6. tom. 1. sed contrarium omnino tenendum est, per ea quae asserunt Antonius Ripol de iuris d. omn. iudic. cap. 1. num. 125. & Antonius Thesaurus lib. 1. quaest. forens. quaest. 98. Vnde si Clericus petat à laico centum ex causa mutui, & ille reconueniat Clericum, & petat commodatam hoc casu cum diuersa sint causae, diuidendae erunt, & Clericus ratione reconuentionis erit ad iudicem Ecclesiasticum remittendus.

2. Notandum est hic obiter etiam in multis alijs casibus Clericum coram iudice laico reconueniri non posse, nempe si reconuentionio oriatur ex causa criminali, etiam si ciuilitate fuerit intentata, vel si sit reconuentionio de re spirituali, vel connexa spirituali; vel propter quam Clericus possit in carcerari, vel si his contra Clericum fuerit affectate procurata

M 2 per

Sup. hoc infra in Ref. 83. & in alijs eius not.

Sup. hoc infra in Ref. 83. & in alijs eius not.

Sup. hoc infra in Ref. 83. & in alijs eius not.

per laicum sub spe & intentione reconueniendi Clericum. Vide citatos Doctores.

3. Notandum est etiam secundò quòd licet Clericus possit à laico reconueniri, tamen ista reconuentionio debet fieri in principio litis, vel statim post contestationem litis, cum enim causa conuentionis & reconuentionis simul tractanda sint, necesse est reconuentionem fieri ante litis contestationem, vel in ipsa còtestatione, vel statim post litis contestationem. Ita Bonacina *vbi infra*, cum multis alijs contra Caerolum de Grassis *effect. 1. num. 763.* & alios.

Sup. hoc in
fra in Ref. 83.
& in alijs
cuis nor.

4. Notandum est etiam tertio quòd licet Clericus possit à laico reconueniri, & teneatur stare sententia, nihilominus secuta sententia non poterit à laico iudice cogi ad solvendum, quia coactio supponit iurisdictionem; iudex autem laicus non habet iurisdictionem in Clericum praecisa occasione reconuentionis, ergo, &c. & ita docet Bonacina in *Bull. Can. disp. 1. q. 16. sect. 1. punct. 4. §. 6. n. 8.* & alij penes ipsum, quibus adde Duardum in *Bull. Can. lib. 2. can. 15. q. 11. n. 66.*

RESOL. LXXIV.

An Clericus sit conueniendus in Curia seculari pro debitis Regalibus? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 66.

Hæc Ref. citatur supra in Ref. 2. in §. Sed dicitur ad lin. 11. & in Ref. 17. in §. Ad tertium ad lin. 7. quavis videatur non facere ad rem.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Antonius Ripol de *iurisdic. omni. iudic. cap. 1. n. 17. & 182.* vbi sic ait: Clericus ratione solutionis census qui Domino Regi est solvendus conuenitur in curia seculari, & non obstante quòd firmauerit ius in curia Ecclesiastica, solet declarari non esse locum firmæ iuris in dicta curia Ecclesiastica factæ, & non solum Dominus Rex attrahit ad suum forum personas Ecclesiasticas quæ sibi solunt annuas præstationes & debita, verum etiam & arrendatores iurium Regiorum habent eandem prærogatiuam trahendi personas Ecclesiasticas ad iudicium seculare. Ita ille, & alij.

2. Sed ego inuenio apud sacros Canones simpliciter & absolute Clericos etiam in causis civilibus exemptos esse à iudice seculari in quocumque negotio, & idèd in *cap. nullas Clericus 11. quæst. 1.* dicitur, Omne negotium Clericorum in Episcopi sui, &c. Ergo si Summus Pontifex asserit, quòd omne negotium Clerici agendum est coram Episcopo, agendum erit coram illo etiam negotium Clerici debitoris Regis; & in Concil. Trident. *sess. 24. de reformat. cap. 20.* sic habetur. Causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, coram ordinarijs locorum duntaxat cognoscantur; sed causa Clerici debitoris Regis pertinet ad forum Ecclesiasticum, cum Clericus in civilibus gaudeat priuilegio fori, vt patet in *cap. nullas Episcopus, ibi, neque præ civili causis,* &c. ergo dicta causa per Tridentinum cognoscenda erit coram locorum ordinarijs. Deinde iura declarant causas in quibus Clerici pro civilibus possunt conueniri coram iudice seculari, vt patet ex *cap. transmissa, & cap. verum, de foro compet.* Sed inter dictas causas non inuenitur causa Clerici debitoris Regis; ergo, &c. At his non obstantibus asserunt aliqui bona regalia, quando conceduntur Clericis, sub hac conditione concessa censentur; nam talis conditio non est per se mala, & voluntati potuit apponi, & ideo seruanda erit, ex *cap. verum, de foro compet.* & ex *cap. verum, de condit. appos. & ibi Doctores,* & quia hanc opinionem admittit Suarez contra Regem Angliæ *lib. 4. cap. 14. num. 13.* non audeo illam improbare.

RESOL. LXXV.

An Clericus in feudalibus possit conueniri coram iudice laico? Ex part. 3. tract. 1. Ref. 59.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Suarez de *immun. lib. 4. cap. 14. n. 12.* Duardus in *Bull. Cen. can. 15. q. 11. n. 68.* D. Antoninus *part. 3. tit. 9. cap. 2. n. 3.* Surdus *lib. 3. conf. 396.* Marta de *iurisd. p. 4. ca. 89. num. 5.* Ambrosinus de *immun. cap. 20. num. 56.* Baiardus in *Clarum lib. 4. §. feudum. quæst. 90. num. 8.* & alij, quia in tali casu non subicitur iudicio domini fendi tanquam persona Ecclesiastica, sed tanquam Dux, Marchio, &c.

2. Sed hoc verum esse existimat Paulus Squillante de *privileg. cler. cap. 7. dub. 14. num. 105.* & alij penes ipsum, quando clericus pro feudo coram seculari conuenitur intentando petitionem, & sic quando de proprietate sola agitur; secus autem si iudicio possessorio impetitur, nam tunc causa possessoris est agitata coram Ecclesiastico iudice, licet contrarium asserat Bonacina in *Bull. Cane tom. 3. disp. 1. quæst. 16. sect. 1. punct. 6. n. 6.* & aliter iudicatum fuisse referat Ioannes Baptista del Thoro in *compen. decis. Neapol. ver. cler. fol. 93.*

RESOL. LXXVI.

An Clericus, si conueniatur pro euictione, conueniendus sit coram iudice Ecclesiastico? Ex part. 3. tract. 1. Ref. 22.

§. 1. **A**D hanc quaestionem sic respondeo cum Tamburino de *iure Abbatum tom. 1. disp. 15. q. 19. n. 25.* vbi sic asserit: Si Clericus, qui vendidit agrum, conueniatur pro euictione, debet conueniri coram iudice Ecclesiastico: si verò lis mota fuerit contra laicum, qui rem à Clerico emit, & Clericus resistat defensionem emptoris, tunc non potest per Clericum causa trahi ad tribunal Ecclesiasticum; quia agitur contra laicum, non contra Clericum, qui iudicio suo nomine non assistit, sed nomine & pro defensione emptoris. Ita ille.

Sup. hæc in Ref. 100.

2. Sed presentem quaestionem fufius tractant Ceuallos de *cognitione per viam violentiam part. 2. q. 45.* & alij penes ipsum, quibus addo Molinam de *iust. tom. 2. tract. 2. disp. 380. n. 55.* Io. de Hevia in *Curia Philippica part. 1. §. 5. n. 20.* Martam de *iurisdic. part. 4. cent. 1. cap. 34.* Bobadillam in *polit. tom. 1. lib. 2. c. 18. n. 169.* Mendez à Castro in *praxi Lusitana lib. 3. c. 5. §. 1.* Caldas Pereira de *empt. c. 31. num. 84.* Girondam de *gabelle part. 4. §. 15.* & alios.

RESOL. LXXVII.

An Clericus ab emptore interpellatus, teneatur eum defendere coram iudice seculari? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 25.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet Aufreterius ad *Capellam Tholosanam decis. 360. num. 2.* Covarruias *Sup. hoc in practico. 99. cap. 8. num. 3.* Fachinaeus *lib. 2. controuers. ca. cap. 37.* Gail. *lib. 1. obseru. 37. num. 7.* & alij, quos citat & sequitur Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiam part. 2. quæst. 23. n. 24.* Nam in tali casu Clericus dum ad iudiciu accedit vt emptorem defendat, reus necessarius nunquam efficitur, ita vt comparere necesse habeat, cum lis contra ipsum non instituitur, &